

DOCTRINA CHRISTIANA
DE
MYSTERIO
SS. TRINITATIS
NOTIS HISTORICO - CRITICIS
ILLUSTRATA,
ET
CANONICO-MORALIS
DE
BENEFICIIS ET CENSURIS ECCLESIASTICIS
THEOLOGICE DISCUSSA.

QUAM
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT
F. MARQUARDUS KERZINGER,
ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI RECOLLECTORUM
THEOLOGICÆ LECTOR,

RESPONDENTIBUS
RELIGIOSIS EJUSDEM ORDINIS ET INSTITUTI FRATRIBUS,
DISSIBODO HERMANN, ET PATRITIO BILL,

MOGUNTIÆ
IN CONVENTU PATRUM FRANCISCANORUM

Anno MDCCLXXXIV. Die XXI. Aprilis.

Mane ab octava.

MOGUNTIÆ,

Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. priv. apud Joan. Joseph. Alcf, Hæred. Hafner.



DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

Summa hujus Mysterii in eo consistit, ut unum Deum in Personarum Trinitate, & Trinitatem Personarum in Unitate veneremur Substantiæ. a)

Elenchus Dogmatum.

Fides nobis inelamat: *Existit Deus*, cont. *Atheos.* b) 2. *Natura unus, & unicus*, c. *Polyth.* 3. In Personis, *Patris* scilicet, *Filii*, & *Spiritus S.* trinus. c. *VV. HH.* 4. Ex quibus *Filius a solo Patre*, *Spiritus S. a Patre Filioque procedit*; c. *Græc.* 5. Quique *reipsa* quoad Personalitates sunt *numero discreti*; c. *Sabell.* 6. Sed in eadem numero natura *consubstantiales*; c. *Arium.* 7. Ut adeo tres illi sint, maneantque unus idemque Deus. c. *Trith.* 8. Hunc credimus, & confitemur in omni perfectione infinitum, consecutive a nulla creatura æquabilem; c. *Deificat.* 9. Plane incorporeum; c. *Antropomorph.* 10. *Immortalem & impassivum*, c. *Apoll. Theop. & Muscul.* 11. *Substantialiter ubique* (etiam in re quavis exili) *diffusum*, c. *Vorst. calv.* 12. *Nulla ratione mutabilem, seu volubilem*; c. *Stoic. Manich. &c.* 13. *Naturaliter invisibilem*; c. *Sadd. & Frat. tri.* 14. *Intuitive vero visibilem oculo intellectuali supernaturaliter elevato*; c. *Palam. & Almaric.* c) 15. *Nequaquam tamen a creatura utut elevata comprehensibilem*; c. *Aug. de R.* 16. *Omnia, etiam minutissima, ac secreta cordium, non conjecturaliter, sed certi-*

a) Hoc mysterium rationi naturali non contrariatur, ita tamen sublime est, ut, qua ratione, supposita etiam fide, demonstrari valeat, non videamus.
b) Existentiam Dei ratio naturalis insuper demonstrat. 2) Ejus incogitantiam habent quidem plurimi, invincibilem vero ignorantiam positivam habere possunt nulli.
c) Supernaturale hoc auxilium in moderna providentia est *Lumen gloriæ.*

certissime scientem; c. *Marcion*. 17. Futurorum, etiam liberorum, sine læsione libertatis creatæ, præscium; c. *Calvir. Zwingl. & Huff.* 18. In agendo ad extra vere liberum; c. *var. HH. d)* 19. Essentialiter sanctum, ut mala ethica nec velit, nec velle possit; c. *Calvin. & Bez.* 20. Providentia sua, quæ summe sapiens, sancta, iusta, omnibus benefica est, creaturas quaslibet moderantem, c. *Libertin.* 21. Seria & minime fucata adfectione, *omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* 1. *Tim. 2* volentem. e) 22. Certa & immutabili sententia quosdam ad gloriam prædestinantem. f) 23. Alios vero ex, & propter prævisa eorum demerita personalia ad æternum supplicium positive reprobantem. g) 24. Blasphema igitur est *Antelapsariorum*, Deum ex mero suo beneplacito positive reprobasse, docentium sententia. 25. Impia *Postlapsariorum* adsertio, peccatum originale respectu omnium, etiam baptizatorum, qui reprobi sunt, esse veram reprobationis positivæ causam formalem.

Note Historicò - Criticæ.

Mysterium Ss. Trinitatis Patribus ante-Nicoenis non erat incognitum, imo potius ab iisdem fuit luculenter adsertum. 2. Obscure in antiquo, perspicue prorsus in novo est revelatum Testamento. 3. Ex *Isaiæ 6. v. 3.* illustrari potest conspirantibus in hanc rem celeberrimorum Rabbiorum testimoniis. 4. Versiculus 7^{timus} 1. *Joan. 5.:* *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus S., & hi tres unum sunt,* periocha est vere authentica, & mysterii hujus plane decretoria. 5. Infirmum est eorum criterium, qui comma illud adscititium, & Catholicorum dolo margini adfuturum esse, adfirmant. 6. Vanissima quoque, omnique prorsus ratione destituta est *Crellii* suspicio, illud in fidei confessionem a 461 Episcopis in Synodo *Carthag.* cusam ab aliquo interpolato-

A 2

lato-

d) Libertate, non mere essentiali, sed indifferentiæ. *Cont. Lullif.*

e) Incaustum istud *Pauli* oraculum ad solos electos restringere molitur post Prædestinatos *Jansenius.*

f) De Prædestinationis modo loquimur cum *D. Ambrosio L. 5. de Fide c. 3:* *Quorum merita (non mere naturalia, uti voluit Pelagius) præscivit Deus, eorum proemia prædestinavit.*

g) Credimus ergo cum *Conc. Valent. C. 3:* *In damnatione pevituroorum meritum malum præcedere justum Dei iudicium.*

latore posterioris ætatis esse intrusum. 7. Controversia, quæ aliquando ipsos inter Catholicos vigeat, aliis unam *ἑσῆαν*, & tres *ὑποῦσῆαι*, aliis unam *ὑποῦσῆιν* & tres *ἑσῆαι* statuentibus, lis de voce erat, adeoque illos non fecit reipsa circa summam hujus mysterii discordes. 8. Intemperans est hermeneutica eorum, qui *Ss. Justinum, Ireneum, & Basilium* erroris circa Divinitatem Filii div. inculcant. 9. Sat solidis autem nituntur fundamentis, qui *Eusebium Casareensem* virus *Arianum* nutriisse contendunt. 10. Sapienter & recte *Synodus Nicoena* suo fidei Symbolo vocem *ὁμοῦσιος* contra *Arianos* inferuit. 11. Vox illa a Conc. *Antiocheno* vel nunquam, vel certe alio sub sensu fuit damnata. 12. Nec *Liberius* S. Pontifex. 13. Nec *Patres Ariminenses* a fide *Nicoena* unquam recesserunt. 14. To: *Filioque* Symbolo *Nicoeno* jure insertum fuit. 15. Additio ista non repugnat decretis Cc. *Ephesini* & *Chalcedon*. 16. Nec reprobata fuit a *Leone III. R. P.* 17. Nec ratio fuit sat legitima, ut *Græci* a *Romanæ*, & totius *Ecclesiæ Occidentalis* unione scinderentur. 18. Facta autem fuisse videtur primitus a quibusdam *Ecclesiis particularibus Hispaniæ* circa initium seculi V., in *Germania* vero & alibi dein admessa, & demum a sum. Pontifice adprobata circa seculum IX. 19. *Tertullianus*, & *S. Epiphanius* erroris *Antropomorphitarum*, qui Deum carnalis indumenti exuviis insuerunt, immerito inculcantur. 20. Nec ejusdem sat convinci potest *Melito Sardicensis* ex libro, quem inscripsit: *περὶ εἰσοματῶν Θεοῦ*. 21. Non tam inepte locutum est os aureum *D. Chrysostomi*, ut facialem Dei visionem iret inficias. 22. *Joannem XXII.* auctoritate pontificia definiisse, intuitivam Dei visionem nonnisi post corporum resurrectionem Sanctis esse concedendam, adprime falsum est. 23. Verosimilius est, nec a *Moyse*, nec a *Paulo*, nec ab ullo alio in hac vita degente Deum intuitive visum unquam fuisse. 24. *Synodus Valentina III.* capitulis *Carisiacis* non obstitit, nisi ex errore facti. 25. Nec *Ecclesia Lugdunensis* voluntatem Dei, salvandi omnes, ad solos *electos* restrinxit.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Natura & Origo.

Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum, seu titulo ex se perpetuo auctoritate legitima constituto stabiliter adnexum, propter officium spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae. *h*). 2. Erigere ejusmodi titulos ex antiqua Ecclesiae disciplina ad solos superiores ecclesiasticos pertinet. 3. In erectione tamen beneficii majoris, E. G. Episcopalis, si insuat in systema reip., Principes quoque audiendos esse, non imus inficias. 4. Quandonam primum erecti fuerint ejusmodi tituli, consequenter quo tempore origo beneficiorum figenda, non ita est notum. 5. Id non contigisse, aut ante, aut per- aut immediate post divisionem Ecclesiae bonorum a *Simplicio P.* circa an. 470. factam, & a *Gelasio P.* post an. 492. confirmatam, ex historia eccl. in aprico est. 6. Ex eadem vero constat, eos seculo jamdum XI. ferme ubique invaluisse. 7. Divisio beneficii eccl. in seculare & regulare, etsi olim incognita fuerit, sequioribus tamen seculis introducta per se nec nunc respuenda est. 8. In dubio quodlibet beneficium praesumitur seculare, nisi fundatum sit in monasterio, aut hujus regimen respiciat. 9. Unde possessor secularis regulariter ab onere probandi est absolvendus. 10.

Qualitas in beneficiandis requisita.

Ad beneficia eccl. nonnisi digni, & inter dignos (saltem si beneficia curata sint) regulariter nonnisi digniores sunt praesentandi, eligendi &c. 11. Adsumptio indigni ipso jure irrita est, si indignitas proveniat ex defectu alicujus de jure necessarii, aut essentialiter requisiti. 12. Adsumptus indignus, & in ejus defectu adsumentes tenentur omne damnum communitati aut Ecclesiae exin emergens

A 3

refar-

b) 1. Ecclesiam jam ante *Constantini M.* tempora possedisse bona immobilia, varia monumenta historica evincunt. 2. Eorum retentionem nonnisi imprudens cum *M. A. de Dominis* apostata suggillare potest. 3. Principes seculares, eam iisdem prohibito privare posse, nullo plane argumento conficit Author Sched: *Die Reformation in Deutschland zu Ende des achtzehenden Jahrhunderts.*

refarcire. 13. His vero nulla videtur deberi restitutio, si, notabiliter digniore illicite relicto, adsumptus fuerit dignus. 14. Digniori autem, si intra concursum fuerit præteritus, debetur compensatio: uti & tunc, si extra concursum vi, fraude, dolo fuerit a consecutione beneficii impeditus. 15. Utrum a quibusdam Ecclesiis *Germania* ad canonicatus jure exigatur nobilitas avita, adfirmamus, si adsit consuetudo immemorialis, aut statutum a legitimo superiore eccl. confirmatum. *Olim non erat sic. i)* 16. Nulla autem consuetudine aut statuto introduci potest, ut ex nobilibus adsumantur etiam indigni *k)*, imo, si fieri possit, ex nobilibus dignis digniores esse seligendos, omnino sustinemus. 17. Regulares vi instituti sui non magis sunt incapaces ad beneficia parochialia, quam ad Presbyteratum. Sed annon respectu illorum tales sunt ex sacris canonibus? 18. Beneficium parochiale adceptans sine voluntate, intra annum presbyterandi, peccat, teneturque, si presbyteratum intra terminum illum, dum potest, non suscipiat, fructus perceptos restituere ante omnem sententiam. 19. Ad hoc non videtur teneri is, qui beneficium simplex S. Ordinem non requirens recepit cum voluntate, aliquamdiu fruendi beneficii fructibus, posteaque illud resignandi, modo muneri suo satisfecerit. 20. Possidens beneficium simplex ad congruam sustentationem insufficientis citra dispensationem licite adceptat alterum, etsi hoc ex se solo ad illam sufficiens sit. Non vice versa. 21. Ut dispensatio, ad ob- vel retinenda plura beneficia incompatibilia beneficiatum in conscientia reddat securum, ex justa & legitima causa debet esse concessa. 22. Causa sufficiens non est commodum solius privati, sed sola vel necessitas vel utilitas Ecclesie. *l)*

MODI, ADSUMENDI AD BENEFICIA ECCL.

Sunt præcipue tres, nimirum *Collatio libera*, præsentati vel nominati *Institutio*, electi vel postulati *Confirmatio*. 23.

De

i) In Metropolitana *Moguntina* an. 1249. necdum exclusos fuisse civico genere ortos, refert L. B. de *Gudenus*.

k) Non generis, sed virtutis nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem. *Gregorius IX.* in Rescripto ad Capit. *Argentoratense*.

l) Tali causa deficiente valet illud D. Bernardi: *Qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis; Et qui poterat ire ad infernum sine dispensatione, jam ibit cum dispensatione.*

De iis generatim.

Nullo ex his modo beneficium rite deferri potest, nisi aliqua ratione vacans fuerit. 24. Suntque omnes *Expectativa*, etiam *mentales*, aliæque gratiæ ad beneficia vacatura per *Tridentinum* abrogatæ & abolitæ. 25. Hoc tamen non obstante communem Ecclesiarum germanicarum praxin quoad *Canonicatus domicellares* haud condemnamus. 26. Ab iis nihilominus quam longissime arcendi sunt omnes abusus & corruptelæ, quæ hic & nunc intervenire possent. *m)* 27. Beneficia equidem per se conferri debent *absque diminutione*, Episcopos adtamen posse, irrequisito sum. Pontifice, ex gravi causa beneficiando imponere onera personalia, non dubitamus. 28. Quin & iidem possunt beneficio pingui, antequam istud conferant, imponere censum perpetuum, ut subveniant alteri Ecclesiæ vel beneficio pauperi, modo unum altare non denudetur, ut vestiatur aliud. 29.

De Collatione.

Est concessio beneficii ex solo jure & libertate conferentis. 30. Antiquitus penes Episcopos erat potestas, conferendi omnia beneficia suæ dioeceseos. 31. Potestas hæc fuit dein successive admodum diminuta, dum jus, conferendi beneficia, ad Capitula, Abbates, aliosque diversis ex titulis transit. 32. Quin & diversimode fuit restricta per varias reservationes pontificias, quarum initium, & progressum exponemus interrogati. 33. Illas, velut *injustas* jurium episcopaliū *usurpationes* frivole cum *Febronio* traducunt pseudopolitici moderni. *n)* 34. Iis adtamen ob nonnullos, qui in earum executione irreperant, abusus non immerito querelas opposuerunt Germani in *Avisamentis Moguntinis Cc. Constantiensi & Basileensi* exhibitis. 35. Germanorum gravaminibus post fata multa
stabile

m) Legi desuper meretur Conc. *Moguntinum* de anno 1451. in *Lunigii* spec. eccl. Cont. II. p. 85.

n) Mitius hanc in rem loquitur ex Protestantibus perill. *de Senkenberg* Method. Jurispr. add. 4. de libert. Eccl. Germ. §. III. ita differens; *Jure adfirmari poterit, ne exemplum quidem esse in omni re-um memoria, ubi Pontifex processerit adversus eos, qui juribus suis intenti ultra limites vagari in animum non induxerunt suum.*

stabile tandem adtulere levamen *Concordata* cum *Nicolao V.* sum. *P. Aschaffenburgi* inita. 36. Hæc habent rationem pacti, ultro citroque obligantis. 37. Atque adeo ab eorum obligatione Nationem germanicam absolvere, frustra conatur *Febronius*. 38. Sunt insuper *Constitutio canonica*, & Imperii nostri *Sanctio pragmatica*. 39. Unde, quæ reservationes pontificiæ in Germania adhucdum robur habeant, pro norma sunt. o) 40.

De Præsentatorum Institutione.

Hæc est concessio beneficii per se necessario facta personæ ad illud præsentatæ ab eo, qui *Jure Patronatus* gaudet, quod, unde verosimiliter originem trahat, dicemus requisiti. 41. Errant, qui cum *Boehmero* inter prærogativas Patronis competentes adsignant jus quoddam proprietatis, ac dominii in Ecclesias patronatas, earumque bona. 42. Divisio Juris-Patronatus in regulare & irregulare in sensu *Pertschii*, item in activum & passivum, prorsus impropria est. 43. Jus præsentandi non potest ratione sui vendi, aut pro re temporali permutari. 44. *Jus Primariarum precum* huc reducibile non competit Imperatori immediate ex suprema Ecclesiæ advocatia, sed ex antiqua consuetudine per indulgentiam Pontificis roborata. 45. Ad quas *Protestantium* Ecclesias sive im- sive mediatas sese extendat, ex Art. 5. *Pacis Wesphal.* decidendum. 46. To: *Exercuit* §. 26. *ibid.* non intelligimus de actuali exercitio ipsius præcise diei 1mæ *Januarii* 1624. 47. Inter beneficia primis precibus non subjecta numeramus *monocolaria*, quin & ad minus *bicolaria* esse excipienda, ratio omnino suadet. 48. Præsentatio non tribuit præsentato *jus in re*, sed id præstat subsequens *Institutio*, quæ sit *collativa tituli*, facta ab eo, qui jus instituendi habet. 49. *Institutio symbolica*, seu beneficiarum *Investituræ* diversimode fiebant olim, hodie autem pro conditione beneficiorum, & locorum consuetudine sunt æstimandæ. 50. Eas, quæ antiquitus ab Imperatoribus fiebant

o) Nolumus hic Publicistas agere, qui in delicatas, abstrusioresque, quæ in explanatione Concordatorum obveniunt, subtilitates se immittant. Pauca ex jure publico mutavimus eo duntaxat sine, ut, quid nunc *generatim* de Reservationibus dicendum, solidum haberemus fundamentum

fiabant per *annulum & baculum* p) providentissima Ecclesie indulgentia aliquamdiu haud imprudenter permisit. 51. Sed ex post ob præposterum earum usum jure reprobavit. 52. Ortæ ex in Imperium inter & Sacerdotium discordiæ feliciter æque ac prudenter, quin S. Cæsarea Majestas notabile quid amiserit, extinctæ sunt per pactum inter *Callistum II. P.*, & *Henricum V. J.* in Conventu *Wormatiensi* an. 1122. initum, a Conc. *Lat. I. oecum.* an. 1123. confirmatum. 53.

De Electionum, ac Postulationum Confirmatione.

Electio est ordinaria, *Postulatio* vero extraordinaria via, perveniendi ad Prælaturam eccl. 54. Ab initio usque modo varia fuit in electionibus tum sum. Pontificis, tum Episcoporum servandis disciplina, cujus synopsis historicam dabimus sciscitanti. 55. Hodie dum, ut electio canonica sit, facta esse debet vel per *Scrutinium*, vel per *Compromissum*, vel per *Inspirationem*. 56. Ut postulatus alteri prævaleat, alius requiritur suffragiorum numerus in conflictu *Postulationis* cum *Electio*: alius sufficit, si *Postulatio* per *scrutinium* instituta concurrat cum *Postulatione*. 57. *Postulatio* ante *Admissionem* postulato plane nullum; *Electio* ante *Confirmationem*, ubi necessaria est, electo tribuit duntaxat *jus ad rem*, seu Prælaturam. 58. Unde, ad acquirendum *jus in re*, utrique necessaria est *Confirmatio* a legitimo superiore facta. 59. Ad tamen electus in *Germania* videtur ante *Confirmationem* absque speciali indulto administrationem *Episcopatus* rite capeffere. q) 60. *Jus* confirmandi *Episcopos* *Germania*, qui tanquam status *Imperii* vero voto & sessione in *Comitiis* gaudent, hodie soli competit sum. Pontifici. 61. A quo *Electio* vere canonica absque injuriæ nota nequaquam potest rejici, ut adeo *Confirmatio* ejusdem sit *actus justitiæ*. r) 62. Fallitur author scripti: *Erörterung des Entscheidungs-Recht in zwiespaltigen*
B *Wah:*

p) Juxta *Thomassinum*, cui tamen aliqui contradicunt, ejusmodi *Investitura* invaluerunt tempore *Caroli M.*

q) Patet ex subscriptione *Recessus* de an. 1654. facta a *Friderico* *Archiep. Colonienfi*, dum 5ta ab electione die suffragium dedit in electione *Maxiliani II.*

r) Sed an quoque admissio *Postulationis* est *actus justitiæ*, an *puræ gratiæ*?

Wahlen, 1766. dum iudicium in causis controversis electionum Germanie Imperatori vindicare conatur ex pacto Callistino. 63. Famosa pacta Hadriani I. cum Carolo M., & Leonis VIII. cum Ottone I. tanquam subleste fidei plane rejicimus. 64.

Resignatio & Permutatio beneficiorum.

Resignatio est libera, & spontanea dimissio beneficii actu obtenti facta coram legitimo superiore adceptante; fitque alia tacite, alia expresse. 65. Resignatarius non potest bona conscientia retinere beneficium, quod a resignante dolo, fraude, vi, aut metu extorsit. 66. Resignatio expressa fit aut pure, seu simpliciter, & absolute, aut non pure, seu conditionate, ex. g. dum fit *in favorem tertii*, ex *causa permutationis*, cum *reservatione fructuum* &c. 67. Resignatio in favorem cum clausula: *Non alias, nec aliter*, prius etiam coram Ordinariis fieri solita hodie sum. Pontifici est *privative* reservata. 68. Resignationem, in qua *modo tantum deprecatorio* tertius proponitur, cui resignans *optaret*, conferri beneficium resignatum, Ordinarius admittere non prohibetur. 69. Uti nec resignationes ex *causa permutationis simplicis s)* coram ipso ex justa causa factas. 70. Ut autem execrabile Simonie vitium evitetur, resignans & resignatarius, æque ac permutantes inter se ab omni pacto, vel conventionem, & commodi alicujus temporalis intuitu ut abstineant, necesse est. 71.

Onera & privilegia beneficiorum.

Omnis beneficium eccl. sive curatum, sive simplex, etiam ad congruam sustentationem non sufficiens, libere adceptans, actuque quiete possidens tenetur sub mortali, quotidie recitare horas canonicas. 72. Has culpabiliter omittens elapso semestri post aditam beneficii possessionem obligatur ante sententiam iudicis etiam declaratoriam, restituere fructus pro rata omissionis; nec obligationi huic est satisfactum per eleemosynas jam ante datas. 73. Sed an ad idem tenebitur is, qui ratione voluntarie distractionis *t)* officio non satisfecit? R. Et hoc valde

s) Quid autem de permutationibus triangularibus, quadrangularibus &c.?
t) Horas quippe canonicas cum *attentione interna* debere recitari, non dubitamus.

valde probabile est. 74. Beneficiati tenentur ulterius ad Residentiam, & quidem *formalem & obsequiosam u)*. 75. Hanc obligationem opinamur saltem respectu Episcoporum, aliorumque animarum rectorum, ex jure Div. quin & naturali descendere. 76. Beneficiati ad chorum deputati sine causa *legitima w)* e choro manentes delinquant, nec lucrantur *praesentias*, etiamsi alii remitterent. 77. Idem dicere, non haesitamus, de praesentibus quidem, sed non cantantibus, *x)* nisi causa rationalis excuset. 78. Bona ex redditibus beneficalibus ultra congruam sustentationem superflua sub gravi reatu exponenda sunt ad causas pias. 79. Obligationem hanc, quae juxta omnes indubitata est, arbitramur, esse *ex virtute justitiae*. 80. Consequenter beneficiatos ea profane expedientes restitutioni obnoxios suspicimus. 81. Utrum vero patrimonio divites ex patrimonialibus vivere debeant, & beneficalia quaeque ad pias adplicare causas, aliis (fors sine fructu) adfirmantibus in medio relinquimus. 82. *Annata* ex beneficiis earum onere gravatis sum. Pontifici *ex justitia* praestanda sunt. 83. Per Concordata quippe sunt eidem, non *conditionate* tantum, sed *absolute* concessa. 84. Nihil in contrarium evincitur ex querelis Statuum Imperii in Comitibus *Norinbergensibus* an. 1552.: nihil ex literis *Caroli V.* ad *Adrianum VI.* datis. 85. Inania sunt, quae ex vitio *Simoniae Annatis* asperguntur a *Pfeffingero*, aliisque Protestantibus. 86. Beneficiati his, aliisque oneribus gravati gaudent vicissim qua clerici immunitate eccl. tum quoad personas, tum quoad ipsorum bona. 87. Haec immunitas quoad spirituales causas & mere ecclesiasticas juris divini est. 88. Immunitatem tum personalem, tum realem, in politicis magnopere congruere cum jure div. & cum jure naturae, non imus inficias. 89. Ex illis autem praecipue descendere, largiri haud possumus, sed est devotioni, ac liberalitati Principum in adceptis referenda. 90. Adtamen in jus div. peccare non diffitemur, quicumque nunc privilegia illa violare, aut plane auferre adtentaverit *y)*. 91.

DE

- u)* Per residentiam obsequiosam intelligimus, dum quis servitium eccl. per semetipsum praestat.
w) Causa legitima exprimuntur C. unic. de Cleric. non resid in 6.
x) Vid. *Trid.* Sess. 24. c. 12. & *Benedictus XIV.* in *Bulla* data 19. Aug. 1744.
y) Nihilominus, si commune bonum quandam in iis mutationem exigeret, aut diminutionem, Ecclesia non erit adeo tenaciter inhaesiva jurium adquirentium, modo res communi utriusque partis interessatae consilio & consensu transigatur.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

Datur in Ecclesia potestas, suis legibus refractarios coercendi per censuras: 92. Censura est poena spiritualis & medicinalis, per quam homo baptizatus delinquens & contumax privatur usu quorundam bonorum spiritualium. 93. Triplex est, nempe *Excommunicatio*, *Suspensio* & *Interdictum*. 94. Excommunicationes latae sententiae non sunt partus aetatis recentioris, nec primis decem seculis quoad substantiam fuerunt incognitae, ut frustra praetendunt quidam ad nauseam usque novaturientes. 95. Adfertio cujusdam Theologi *Lovaniensis*, qua omnes Excommunicationes latae sententiae tanquam perniciosas deleri, & abrogari vellet, merito audax dicitur a *Benedicto XIV. L. 10. de Synod. dioec. c. 1. N. 5.* 96. Pontifex, sicut in dispensando nimia indulgentia, sic in infligendis censuris nimia severitate errare potest. 97. Ecclesia autem, ejusque supremi Pastores justissimas habent causas, libros tum heterodoxos, tum alios morum honestati noxios etiam sub poenis canonicis interdicens. 98. Quin & gravissima ipsis incumbit obligatio, omnimodo impediendi, ne quid malorum ejusmodi lolorum disseminetur z). 99. Imo, cum ejusmodi libri pestiferum quoque in statum hominis tum naturalem, tum civilem habeant influxum, jus eos proscribendi, a Potestate etiam civili recte usurpatur. 100. Ex quo tamen, Ecclesiae hac in re nil juris competere, inepte admodum infert Author *der pragmatischen Geschichte der Bulle Coena Domini.*

z) Prudentissime hinc cautum, ne quis liber typis mandetur sine praevia *Ordinariorum* Inspectione & Censura.

Cui & haec pagella subjecta sunt.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	R	G	B					W	G	K				C	Y	M			

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

